Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Ant. 10.004

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

IANVS VITALIS CASTALIVS DOCTISIMO PIERIO VALERIANO.

S . D .

ME quoq; cultissime Pieri sanctissimi Leonis .X. Pont.Opt.Max. Electio una cũ omniũ /& deorum/ & hominum lætitia maximo gaudio medullitus affecit. Quocirca non potui in tanta Vatum hilaritate non aliquod exultationis signum pro uiribus præstare: quantum uidelicet nostris iuuenilibus lucubrationibus fieri potuit. Quod si aliqd calamo dignũ inerit/ acerbis adhuc annis / temporis inopiæ / ac nimiæ letitiæ attribuas obsecro. Ne uero expectes a me artẽ ullã quam a uri generis grege in primis expeti nõ sum nescius. Tanto enim/& tam cõmuni omniũ gaudio cõfusus / nullum ordinem seruare potui. Tu igitur (nam tibi nũcupantur) hęc qualiacunq; sint ingenioli mei monumẽta (ut benignus es) accipe. Quæ si aliqua ex parte laudabuntur: certe q; tanto uiro sint accepta censeri poterunt. Proinde spero te duce me ad maiora progressurum.

Vale Aonidum Leuamen

Datum Romæ .iiii. Idus Aprilis

M.D. Xiii.

A M. N. MUZEUM KÖNYVTÁRA

IANVS VITALIS CASTALIVS LEONEM. X. P. M. LATERANEN · EPISCOPATVM INGREDIENTEM LAETABVNDVS ADMIRATVR.

IAm nouus in terras alto descendit Olympo
Iuppiter: & sancto lætatur Martia uultu
Roma triumphaleis iterum ductura Quadrigas:
Sed tamen armorum cędat furor: impia cędant
Prælia Mauortis: siquidem reuocamur ad illa
Sæcula Cumeis præcognita uocibus / aurea
Sæcula: queis nunq; maius sonuere Poetę
Ausonii: patribus assurgit Romula Thuscis
Pompa: genusq; suum: /& ueteres agnoscit honores:
Vnde urbem / procerescq; auxit / gentemq; togatam.
¶ Roma tuum meritis decimum uenerare triũphis.
Felicem patriam / felices Principe tanto
Hunc populum: hosq; patres / felicia mœnia Romæ
Felicem Italiam: et terrarum quicquid ubiq; est.
Nam quæ monstra prius totum furibunda p orbem
Irruerant / cędes / incommoda / damna / rapinas
Omnibus intulerant / mansueti hac fronte Leonis.
Territa cesserunt / atq; exanimata repentem
Proripuere fugam / in Stygium raptata Baratrum:
Quiq; prius morbi ingruerant mortalibus ægris

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Luce Leonini pelluntur Apollinis alma:
Datq; salutiferos passim Medicina liquores
Non Aloe tristis / non succis improba amaris:
Dulcior Ambrosia sed enim est ac nectare dulci
¶Roma tuum meritis decimũ uenerare triumphis.
Ipsum hunc nanq; tui poscebant rure Quirites.
Ipsum hunc Italia : et terrarum quicquid ubiq; est.
Non ausi sperare unquam tam grandia dona:
Quę uidere prius q̃ spes foret ulla petendi.
Qualis ubi ad gelidos fonteis : laticesq; sonanteis.
Improuisus adest : prēda lassatus / et arcu
Venator liquidis rabiem posituru in undis.
Ergo agite atq; focos / & lumina festa per urbem
Lęti incendamus : lectosq; crememus odores:
Cuncta sonent canctu / uincantur lumine noctes.
Stellarum passim radiosq; facesq; micanteis
Aethera per tractusq; poli iaculemur ouantes
Atq; omni sonet ore Leo / Leo cantibus unus
Emodulandus adest. Leo sit uox omnibus una.
¶Roma tuum meritis decimum uenerare triũphis:
Non hunc terra tulit / non hunc genuere parentes
Mortali de gente sati / Descendit olympo
Tale genus / licet humana sub ueste uidere
Immortale bonum / sanctum / et uenerabile numen
Te regnante cadent fraudes / neq; non mala mentis
Gaudia: simplicitas imprimis pura uigebit.

¶Roma tuum meritis decimum uenerare triũphis
Non opus est armis / nutu superabitur hostis
Si quis erit : sed quis tam barbarus / atq; malignus:
Vt contra ire paret / non Maurus & accola syrtis
Non Babylon / non Persa ferox / non dira furentum
Pectora Turcarum ualeant sęquire : nec iras
In te acreis mouisse unquam / licet improba cunctos
Vexet auaritia / atq; pii sitibunda cruoris
Gens rabiat / quęratq; italos populare penates.
¶Roma tuum meritis decimum uenerare triũphis
Qui si unquam fors tale nefas tentare parabunt.
Sunt animi / atq; uiri / et congesta pecunia / & auri /
Argentiq; ingens pondus / sunt arma / ducesq;/
Magnanimusq; Leo imprimis quem diligit ipse
Ipse deus / deus ipse. Leo tibi uincula Turcae
Exitiumq; feret / iam nostra excedere terra
Bizantiq; oris meditare / & linquere pontum.
¶Roma tuum meritis decimum uenerare triũphis
Thracia debetur nobis / spatiosa Propontis
Nostra fuit / nostrisq; uenit nũc obuia regnis.
Tuq; Asia ampla tuos ritus antiquaq; sacra
Iamdudum aspicies / pietas est tanta Leonis.
¶Roma tuum meritis decimum uenerare triũphis
Nunc erit in precio Virtus : nunc digna Labori
Pręmia / et ingenuis nunc artibus ampla parantur
Munera / quid resides animi torpetis e ab alto

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Iamdudum ſomno conſurgite: concitat omneis
Nunc Leo: ſat uitiis / ſat fœde / & turpiter auſis
Indultum :nunc regna ſibi tenet unica Virtus.
¶ Roma tuum meritis decimum uenerare triumphis
O/tandem/o/longo poſt tempore ſęcula nobis
Aurea naſcentur / nullo poſcente Colono
Matris Eleuſinę fruges:et palmite pleno.
Decerpet dulcef uuas / & dona Lyei:
Mella dabunt Sentes:ſudabunt Robora Amomũ.
¶ Roma tuum meritis decimũ uenerare triumphis.
O/ felix patriæ dominus /nunc urbis/et orbis:
Quæ tam quæ fauſta & felix concordia cœtus
Cardinei /ſtudiis qui tam concordibus unum
Te inuenem patribus cunctis/tantoq; Senatu
Prępoſuere:ultroq; tibi dixere/ Iubebis
Rex tu noſter eris: tali tu ſtemmate dignus
¶ Roma tuum meritis decimũ uenerare triumphis.
Sancte pater hominum reuerentia / cura deorum /
Spes miſerum / lux clara hominũ :decus atq; deorũ
Aſpice nos: felix q; pias ne deſere Muſas:
Solus ab Aoniis ſemper cantande Camœnis:
Tu uero Pater alme hominum: pater alme deorum
Sydera qui / tractuſq; maris/ terraſq; iacenteis
Arbitrio regis immenſo: & mortalia ſęcla
Sponte tua reficis / truncas: multoſq; per annos
Producis: nec fata tibi ullam imponere legem
Audent: his hominum precibus moueare pcantum:
Dum ſic intenti ſpectant placida ora Leonis:
Longos eſſe dies decimo /multosq; per annos:
Da decimo prodeſſe ægris mortalibus: atq;
(Quod cupit humanum genus) inſtaurare medela/
Quam tulit /e/ ſummo per te demiſſus Olympo

FELICITER

Io: Baptiſta Rubertus Pegaſeus.

SIgniferi magnus fuerat Leo/ magnus & urbis
Rector iure ſua męnia nactus ope eſt:
Magnus uterq;/fuit cœlo demiſſus uterq;:
Maximus ingenio Iane at uterq; tuo eſt:
Nanq; duos uno dum concinis ore Leones:
Alterius terra eſt / alteriuſq; Polus.

Mariangelus Accurſius.

CVi noua Semiferi tetrica ſub arundine fama
Contigit/ ore nouo dum canit ad Cytharam:
Mirantur Myniæ iuuenem præclara mouentem:
Orphea maiorem qui prius audierant.
Hic quoq; q; iuuenis / q; nomina clara Leonis
Ore nouo exultat / læta per arua lyra:
Quis non quod tetrica modulatur arundine Carmen
Miratus dicat /Spem fore Roma tuam:

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Cyl. P. Paulus Syg. Vit.

TArtareos potuit fidibus qui flectere Manes
Castalio doctam deferat ille chelym:
Et Cythara fretus Dirceę conditor urbis
Conticeat: Celebri pectine saxa mouens.
Romanas Siculis Puppis quem uexit abundis
Trans fauces: Huius dextera tangat ebur.

I D E M

Iane Sacrum Celebret / Laudo quod musa Leonē
Quam bene / Nam geminus Cernis utrumq; polum.

Franciscus. Aquila Beneuentanus

CEru ce in flexa Cœlestis clauiger aulæ:
Qui uidet Eoas / Hesperiasq; plagas:
Tem pla deis latio / & primum cœlestibus aras
Instituitq; sacris Thura Sabea socis.
Castalii Vates hic Ianus ianitor antri
Atq; Hyppocrenis/nectar ab inde ferens
Pontificis primum canit iste Leonis honores:
Quo cingat meritum terna corona caput.
Si qua parte huc usq; cauę uiguere tenebræ:
Obscurum lustrat nunc Cynosura locum.

F I N I S